SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII.

Epigrammatum OCTERNIO OCTAVUS.

Nobilitate, Pietate & eruditione excellentiss. Viro,

Dn. JONÆ SCHLICHTINGIO a Bukovviec

adscriptus.

Ad Lectorem.

Hæc etiam legito, tenui licet edita filo,
Otî quid superest si tibi Lector amans.

Nobili & Reverendo Viro
Dn. IONÆ SCHLICHTINGIO
à Bukovviec.

Salve mi IONA, Vir nobiliß. & frater in Dno. cariß:

EPigrammata, quæ diversis temporibus, de variis materiis, privatim, animi gratiâ, interdum etiam rogati scripsimus, ad te nunc Virum doctiss. mittimus. Non quod digna sint eruditis & tersis auribus tuis; sed quia cognovimus, & delectari te lectione Poëmatum, & nostra quoq; non improbare. Si vacat & lubet ea perlege, ac vale; meque tui amantissimum & observantiss. diligere perge.

S. P.

AD JONAM SCHLICHTINGIUM,
Virum doctiss: & Theologum præstantissimum.

Quæ tibi metra damus, lege tunc, doctiss. IONA,
A gravibus studiis quando solutus eris.
Otia ceu curis interponenda Dynastis,
Sunt etiam doctis otia danda Viris.
Quod careat requie, non est durabile quicquam;
Et ferrum assiduis usibus atteritur.

Mediocritas optima.

Nunquam multa Deum bona, divitiasq; rogavi,
Et quas miratur stultus avarus opes.
Contentus paucisq; fui, parvoq; paratu,
Et modico tepido semper ab igne foco.
Sit gula dira aliis, mihi sit moderata diæta,
Sint aliis lautæ, sit mihi mensa brevis.

Super Insignia nobiliss. Gentis Morstiniorum.

Quòd gerit hoc antiqua Domus Morstinia stemma,
Si sensa inspicias, non ratione caret:
LUNA *quid est aliud? quàm sancta Ecclesia* CHRISTI,
(Namq; illi in vario par similisq; statu est.)
Ut non sunt iidem vultus & lumina Phœbes,
Semper habet rerum scilicet illa vices.
Sic nec habet species Ecclesia semper easdem,
Sed fruitur variâ sorte, volente Deo.
Delia nunc nulla est, a lampade lumina fratris
Nunc capit, & plenâ postea luce micat.
Sic nunc preßa malis Ecclesia nulla videtur,
Nunc nitet a CHRISTO *clarificata suo.*

Stella quid est? nisi præstantes pietate Ministri,
Qui CHRISTI *lucent, pervigilantq; gregi.*
Luceat invito tua Dæmone Cynthia CHRISTE.
Astrumq; in dextra sit, maneatq; tua.

Ad Dn. PAULUM REINIOVICIUM cum incendio conflagrasset.

ERgò, Paule, tuas ignis depascitur ædes,
Et conquisitas depopulatur opes?
Ergò collectos a multo tempore, Paule,
Quos tua servabat Bibliotheca libros,
Et quòd acerbius est, monumenta tot aurea scripta,
Olim digna typis, abstulit una dies?
O infausta dies! ô flamma invisa! quòd ausa es
Tot bona contactu contaminare tuo.
Verùm, Paule, Deus, cujus tu sancta fidelis
Officii grandis jura Minister obis,
Cui non est ex difficili res rursus abundè
Ablatas largâ restituiße manu,
Tantam jacturam tibi, tantaq; damna deinceps
Et tot consumtas ille rependat opes.

In effigiem IONÆ SCHLICHTINGII.

SChlichtingi faciem IONÆ *depinxit Apelles,*
Cætera Pictoris non valuêre manus.
Ingenii dotes referunt, quæ scripta per Orbem
Prostant, in linguâ suada diserta sedet.

Ad Generosum Virum D. CHRISTOPHORUM MORSTINIUM Capitaneum Filipoviensem.

NOn frustra qui nomen habes, Vir summe, per æquor
A vasto CHRISTI *membra ferente viro,*

Tu quo-

Tu quoq; nam tumidi fluctus per littora Mundi,
Numina fers CHRISTI *pectore sancta tuo,*
Observante animo non paucis semper ab annis,
Et non fucato cultus amore mihi.
Quin in nos eadem sit mens, & mutua nostri
Cura nec ambigo quin tibi verus amor.
Nam sincera fides habitans in corpore puro
Solvere fraternas nescit amicitias.
O utinam nobis tàm candida pectora plura,
Et Mecœnates det Deus ipse bonos!
Vive decus clari generis Morstinia Stella,
Vive diu CHRISTI *gloria summa Gregis.*

Evolutio anagrammatis IOANNIS SPONNERI Secretarii, quod tale est:

ANNON IURE TENES RES PRECIOSAS?

Virtus est hominis prior
Verum nosse Deum, altera
In rebus sapere, utilem
Et quàm pluribus esse.
Hæc magnos faciunt Viros,
His vincunt animi bonis
Egentes sapientiâ
Claros sanguine natos.
His, SPONNERE, *decus chori*
Musarum, siquidem cluis
Divûm IURE *bono,* TENES
ANNON RES PRECIOSAS?

Magn. & Generos. V. D. NICOLAO KORYCZYNSKI, Patrono Musarum dignis:

Sarmatiæ Niclae decus, lausq; inclita Gentis,
Idem Pierii lausq; decusq; chori.
Lætor in hanc quòd sideribus felicibus Urbem
Tàm gratus nobis veneris hospes herè.
Sed mage gaudebo, nostro si lumine vultus
Iam mihi contingat fortè videre tuos,
Quod licet interea (quid enim nisi vota feramus?)
Dulce tibi solito more precamur Ave.

Ad Viros nobiliss. Stephanum & Ioannem Morstinios, fratres germanos, morbo contagioso affectos.

Qvòd vos Morstini junctiss. pectora fratres,
Et vestrum invasit limen, acerba lues,
Quæ duo jam vobis carissima pignora fato
Eheu! crudeli, sustulit ante diem.
Indolui sanè, ut par est, & poplite flexo
Fudi pro vobis fervida vota Deo.
Cælitus ut subitò vobis de limine pulsâ
Peste salutarem ferret amicus opem.
Pectore quo toto Superis servire queatis,
Dotibus eximiis & pietate, diu.
Fidite Germani, Deus est placabile Numen,
Propitiam vobis porriget ille manum.
Ad Synodum nobis sano vos corpore sistet,
Vobiscum grates cui pia Turba dabit.

D. Iacobo Reinovicio Concionatori egregio.

Ingenio præstans, hominum qui pectora mulces,
Facundâ quando voce, Iacobe, tonas.

Quæ succisivo conscripsi tempore metra,
Et jussi mundis effigianda typis,
Mitto tibi, donoq; lubens; ea fronte serenâ
Accipe, & in nostri pignus amoris habe.
Ac tu, si mereor, sis commendare paratus
Me Mecœnati care IACOBE, *tuo.*

D. IACOBO ANGERMUNDT.

Aurem dùm tibi præbeo, IACOBE,
Dùm rescribere versibus laboro,
Quot horas poteram sacris dicare?
Hoc damnum tibi forsitan videtur
Non tam grande, sed est IACOBE;
Cras nostrum biberet quod aure Vulgus,
Propter te perit: en, IACOBE, *sic est*
Dum rescribere versibus laboro.

Ad eundem de ipsius Insignibus.

Majores & Marte tuos, & in Arte celebres
Hæc IACOBE *satis signa fuiße docent.*
Militis est validi, conatu pandere pontes,
Heroum clausas & reserare domos.
In superas volitare auras, tellure relictâ,
Hoc virtutis erit, & simul Artis opus.
Quod facis, amplifica Proavorum ex viribus Arma,
ANGERMUNDTIADÛM *stella,* IACOBE, *domus.*

In effigiem Gén. V. D. VESPASIANI SCHLICHTINGII.

Quam cernis pictam calamo SCHLICHTINGIA *proles,*
Hæc ora, hos habitus VESPASIANUS *habet.*
Egregias dotes, si cernere gestis, Eum ipsum
Consule, cumq; illo mutua verba sere.

AD D. VENCESLAUM EKHERUM ab EKHOVV
Quæstorem utriusq; Silesiæ.

QVòd niveo candore pares formâq; Sorores,
Mens quibus est eadem semper & unus amor,
Divinæ charites miraris EKHERE, *quòd inquam,*
Deseruêre homines, deseruêre Solum?
Si mihi quid credis, non est rationis opertæ,
In deploratis caußa diebus inest.
Mater amata Fides terras, EKHERE, *reliquit,*
Germanam Astræam ponè sequuta suam.
Quid Natæ facerent, hic matre Amitaq;, carentes,
Inter & Errores, inter & Eumenides?
Aut revoca Astræam, pie CHRISTE, *Fidemq; remitte,*
Aut citò Nos superis aßere, CHRISTE, *choris.*

Nocuit differre.

Est via trita, fidem in CHRISTUM *differre salubrem,*
Error inest illi, sit via trita licet.
Istius fidei nocuit dilatio multis;
Perdidit incautos postera sæpè dies.
Credere quid differs? dubia est occasio posthac,
Vita brevis, tacitis pœna venit pedibus.
Cras, inquis, faciam? cras non est credere tutum,
Sera fides namq; est crastina, crede hodie.

AD D. SEVERINUM MORSTINIUM.

VIr bone, Morstini, linguaq; & pectore vere,
Quem gemmâ finxit de meliore Deus.
Qui nec Causidicus vis eße; nec, omnibus æquus,
Vis alios tristi jure citare viros;
Nec potes arva gravi pretio conducta tenere,
Æra auferre isthinc ut numerosa queas.

Nec potes aut verbis alios, aut fallere vultu;
Dicere voce aliud, corde fovere aliud.
Nec quæstûs cupidus, mercari commoda nosti,
Nec cauponari, nec dare fænoribus;
Deniq; qui nullas triviales & potes artes
Exercere, quibus sæpè parantur opes.
Quod potes, & debes, divina statuta docendo,
Docte SEVERINE, *ad Munia sancta redi.*

AD D. CHRISTOPHORUM STOINIUM.

QVi CHRISTUM *portas in pectore, digne Minister,*
CHRISTOPHORE, *a multo tempore note mihi,*
Cum quo (ex diverso cum sis mihi redditus Orbe,
Usus amare tui præsidioq; Dei)
Quotidie carâ modò consuetudine fungor,
In Cœtu, inq; domo mutua verba serens.
Optimus, & posthac multis redeuntibus annis,
Talia det nobis otia grata, Deus.
Hæc autem interea, quæ nunc tibi sacra, STOINI,
Metra damus, cupidâ suscipe, quæso, manu.

In obitum incomparabilis V. D. Iohan. Crellii Franci, Generi mei desideratiss. Anno 1 6 3 3. 11. Iunii, in CHRISTO defuncti.

ERgò *jaces ô delicium,* CRELLI *optime, nostrum!*
Ætates Pylii vivere digne senis.
Ergò jaces, mea vita ! jaces Gener intime! nec me
Delusit fatinuncia fama tui.
Non Pietas tua, non Fratrum tàm fervida vota
Eripere è Mortis te potuêre manu!
Tot dotes animi, & multo sudore parata
Dona superveniens abstulit una dies!

Illa eheu! divina acies ubi mentis, acumen
Et vis ingenii, judiciiq; tui est?
Occidis (atq; utinam pro te prius ipse perißem)
Et tecum illa simul deperiêre Bona.
Nil fuit in sacris abstrusum, tamq; profundum,
Quod tu non curis aßequerêre tuis.
Quæcunq; Hebræi, Latii, quæcunq; Pelasgi
Scripserunt, mentem non latuêre tuam.
Magna loquor, sed vera loquor; quis dicere verum
Me prohibet? posthac fama loquetur idem.
Id tua testantur manibus quæ scripta teruntur,
Testabuntur item posthuma, danda typis.
Quid referam vitamq; tuam, moresq; probatos?
Cui sacra vivendi Regula CHRISTUS *erat.*
Cor tibi mitte fuit, mentis demissio mira;
Candor sincerus, nec simulatus amor.
In cultu Pietas, Precibus devotio rara;
In vera constans Religione labor.
Nec modò Relligio curæ tibi sancta, Fidesq;
Sed fuit & Clarii docta juventa Chori.
Assiduo studio tractare negotia CHRISTI,
Hæ tuæ erant artes, deliciæq; tuæ.
Fidus amoris eras custos; studiosus in omnes;
In miseros pronus, munificusq; Viros.
Consortem thalami Patris instar semper amâsti;
Quæ vix dum heu! tecum bis duo lustra fuit.
Singula ne memorem, dolor impedit, optime CRELLI;
Nec memorari etiam singula fortè queant.
Quicquid enim in plures divina potentia confert,
Hoc in te dives contulit omne Deus.

Fle sacra Religio; fle Virtus; flete Fideles;
Fleq́; Medusæi Gens studiosa vadi.
Fœdere amicitiæ juncti quoq; flete: STOINI
Tu fle, namq; cares parte tui media.
Pro quo vitam ipsam tibi ponere dulce fuißet
CRELLIUS *ah! moritur,* IANE *diserte, tuus.*
Clare RUARE, *tui pars en fidissima Cordis*
Interit! indulge fletibus absq; modo.
Tu SCHLICHTINGI, *& tu* MORZKOVI, *flete Ministri,*
Cum quo vixistis vester Amicus abest!
Vosq́; salutiferi Præcones Dogmatis omnes
Flete, abit ex vestro lucida gemma choro!
Tu fle præ reliquis conjux cum pignore quino;
Tecum Ego fors nunquam desino flere Socer.

Ad Spectatorem Tumuli.

QVicquid Doctrinæ est, quicquid virtutis & usquã est,
Hic jacet: ô quanta est ista ruina! dole.

In effigiem ejusdem.

QVod mortale fuit, depictum est arte magistrâ,
Os, oculi, & reliquæ corporis exuviæ.
Nec rebus Mens divinis instructa, nec almus
Spiritus æthereis sedibus ille datus,
Nec Pietas, nec Doctrinæ quoq; copia veræ
Multa, nec Ingenii munera tanta tui,
Deniq; nec quicquid, CRELLI, *immortalis habebas,*
In quod juris habet Mors truculenta nihil,
Hæc, inquam, haut potuêre manu depingier ullâ;
Sed depinxisti Te tamen ipse satis.

Verâ pietate & doctrina prædito V. D. MICHAËLI Venetiano, fratri cariss.

Tantum iter emensus quod, VENETIANE, fuisti,
Toto quale fuit tempore, scire velim?
Quid verò dubitem! cum sis Pietatis amator,
Te tutum Genio credo fuisse Dei.
Gratulor, & læto grates de pectore promo,
Proq; tua fundo Vota salute Deo.
Tùm, si non spernis, quæ nuper Carmina scripsi;
Sacra, tibi dono, VENETIANE, vale.

Minister Ecclesiæ.

Aptum quæ faciant idoneumq;
CHRISTI fascibus arduis Ministum
Virtutes, pie CHRISTIANE, sunt hæc:
Acta puriter, innocensq; vita,
Fama integra, notata labe nullâ,
Casta sobrietas, amica vitæ
Abstinentia, mater & salutis.
Mores compositi, graves, honesti,
Nec non justitiæ & boni tenaces.
Mens pudicitiâ, modestiaq;
Quin rarâ quoq; sanctitate plena.
Tum fastu stolido, & superbiore
Affectu vacua, insolentiaq;
Contemptrix & opum & pecuniarum;
Verùm sobria, libertatis
Cultrix, nec minùs hospitalitatis.
Cor rixas fugiens, nigræq; bilis
Expers, sed placidæ quietis, atq;
Sanctæ pacis amans, amans & otî
Ejus lectio quod frequens requirit.

Divinus animus probè expolitus
Sacra ritè secare verba doctus,
Et Mysteria pandere eruditus.
Infensos pariter dein, & hostes
Expugnare potens, & Audientes
Potens ædificare; vel docendo,
Vel firmando etiam, vel admonendo,
Vel solando, vel excitando, semper
Instandoq; operi, atq; agendo Munus.
Virtus digna Viro, sciens ferendi
Consortem thalami, sciens regendi
Et caram sobolem, domumq; totam.
Aptum quæ faciunt idoneumq;
CHRISTI *fascibus arduis Ministrum,*
Virtutes, piè CHRISTIANE, *sunt hæc.*

Miles Christianus.

A*rma, Virumq; cano, quo non præstantior alter,*
Quem vis hostilis vincere nulla queat.
Cassis inest capiti: nudum tegit ægide pectus:
Auratâ zonâ cingit utrumq; latus:
Ærato induitur, convestiturq; thorace:
Aptatur lateri sæva Machæra suo:
Nec desunt ocreæ pedibus: quibus omnibus addit
Ad summum vigilans vota, precesq; Deum.
Atq; ita stans in procinctu cataphractus, ad hostis
Ingenii vires vertit & arma, minas.
Ecce autem prodit Dux & veteranus & ingens
Ille Draco, pollens viribus, arte, dolo.
Quem ponè (horrendum) nunquam numerabilis ulli
Spirituum sequitur perfidiosa cohors:

Splendi-

Splendidus insequitur Mundus, suavisq; voluptas,
Et Mors, & vastæ stagna profunda Stygis.
Cum quibus ipsa suos miscet vanissima sensus,
Semper deposcens immoderata Caro.
Vnum conspirant contra pro viribus omnes,
Illius pariter interitumq; volunt.
Ipse Draco primùm contorquet ad intima cordis
Ignea cum toto tela sodalitio:
Eße Deum nullum; fieri temerè omnia; Mundum
Qui curet frustrà creditur esse Deus.
Hinc homines illi frustrà confidere, frustrà
Eße ad nutum hujus vivere velle Dei.
Excipit illa fide Miles constante, repellens
Cuncta ejus clypei tegmine tela sui:
Eße Deum summum, qui condita rite gubernet
Omnia; nec frustrà creditur eße Deus.
Hinc illi nec mortales confidere frustra,
Nec frustrà eße isti velle placere Deo.
Deinde Caput petit; ut sit, ait, Deus; ipse salutem,
Quam speras, nulla vult ratione tuam.
Quid tibi cum Cælo? quæ sunt mortalia cura;
Nempe Deus sine te gaudia solus agit.
Ille Deo plenus, firmâ spe nisus & auctus,
Ac promißa Dei mente tenace fovens,
Non secus hos ictus, quàm fulgens verbera cassis,
Repprimit, atq; illi talia rursus ait:
Iam fas mortali est veram sperare salutem,
Fas homini in superas scandere poße Domos.
Namq; per Vnigenam spem nobis fecit Olympi
Ipse Deus verax, & rata signa dedit;

Mortu-

Mortuus est CHRISTUS; *miracula plurima fecit;*
Vt firmam nobis redderet ille fidem.
Inde, fide majus, Patris virtute revixit;
Pòst immortalis factus in Axe sedet.
CHRISTUS *in Axe sedet, cui nunc in cuncta potestas,*
Robore par summo, par & honore Deo.
Ille potestdare promißam, dare vultq; salutem,
Regis agens munus, Pontificisq; boni.
Ergo illò mihi spem veniendi demere frustrà
Tentas, unde miser tu Draco pulsus eras.
Hæc ait: Ille autem quoniam nil fraudibus istis
Proficit, hunc aliâ cæptat adire viâ.
Ex Armatura Scripturæ corripit ensem,
Cui firmam didicit Miles habere fidem,
Ensem, verùm hebetem, frustrà Draco corripit, inquam,
Si fors in cautum quâ jugulare queat:
Sola fides servare potest; tàm viverestrictè
Quid juvat, aut factis invigilare bonis?
Si poßet meritis acquiri Vita futura,
Non legeres CHRISTI *tristia fata tui.*
Nec minùs ancipitem contrà capit ille machæram,
Quâ petitur longè fortius hostis iners:
Verum equidem eße; Fidemsolam servare, sed illam
Quæ semper fructus fœta, feraxq; boni est.
Non salvare fidem castam virtutibus ullum,
Vera fides animam debethabere suam.
Alma salus meritis licet haut acquiritur ullis,
(Namq; datur nobis illafavore Dei.)
Absq; tamen Pietate illamcontingere nulli
Fas erit, id sancto constituente Deo.

Nec

Nec sua propterea perpeßus vulnera CHRISTUS,
In Cruce tàm diro clausit agone diem;
Vt sit peccandi, liberrima danda potestas,
Caußaq; sit vitiis, ansaq; criminibus.
Verùm in Nos ut perfecti nota certa favoris
Extet, & ardoris sint monumenta Dei;
Vt pœnæ securi, hujus vitæq; futuræ,
Ob mala quæ quondam fecimus, ante fidem.
Hunc ex corde Deum Nos prosequeremur amore,
Peccati infelix & fugeremus opus.
Depulit hoc Miles tactum mucrone Draconem;
Nec tamen omnimodè tutus ab hoste fuit.
Successit Mundus, facies pulcherrima cujus,
Cuiq; rubent pulchris æmula labra rosis.
Cui Comites Bacchus, Cytherea, puerq; cupido,
Harmonicæq; lyræ virgineiq; chori.
Delitiisq; fruens & lætâ mente Voluptas;
Auri sacra fames; ambitiosus honos.
Atq; hæc: ô Iuvenum pulcherrime quisquis es, inquit,
Quæ dico memori, si sapis, aure nota.
Has tu delitias, hæc gaudia Miles habebis,
Sic luce & totâ nocte beatus eris.
Si durum Virtutis iter neglexeris, & me,
Et mea Castra sequi si generose voles.
Dic mihi, quid Virtus pauperrima profuit ulli?
Inter honoratos cui dedit illa locum?
Omnibus invisa est, latebras ea quærit, & umbras,
Ac derisa domi, cogitur ire foras.
Hinc vix invenies multis è millibus unum,
Qui comes ejus, amens cultor & eße velit.

Ad mea sed multi concurrunt undiq; Castra,
Implentur numeris Atria nostra suis.
Hîc sunt sceptrigeri Reges, magniq; Dynastæ,
Cultaq; nobilitas, Rusticitasq; rudis.
Me veneratur Hyporboreus, veneratur & Auster,
Me colit Eous, me colit Hesperius.
Tu quoq; quid nostris succedere sedibus hostes,
Quid ceßas nostris deliciisq; frui?
Vtendum est ætate, amnis fugientis imago est
Ætas, umbra velut, sic data vita fugit.
Vive hodiè, moneo, nulla est post fata voluptas,
Totum abit in nihilum, quod fuit antè nihil.
Turgidus hæc pro se Mundus dum multa perorat,
(A quibus & petulans non aliena Caro est,
Nam cum terrea sit, terrenis dedita, præceps
Ad res mundanas luxuriosa ruit.
Cui Miles nodosa sciens imponere frena,
Hanc ratione suum cogit ad obsequium.)
Tunc ille ad laudes & sesquipedalia Mundi
Verba, subiratus talia rursus ait:
Munde immunde, quid hæc tot inania fundere pergis
Verba? quid ampullas projicis ore tuas ?
Nil moror hunc luxumq; tuum , comitumq; tuorum,
Gaudia nil curo, lætitiasq; tuas.
Non ea vera mihi est, non hæc sincera voluptas,
Quæ vastum ventrem spectat, alitq; gulam.
Cum brutis commune tibi est quod Munde reportas,
Tale Bonum; haut prodest sed magis illud obest,
Hinc mala proveniunt insomnia, nausea, morbi,
Hinc dolor, atq; dies funeris ante diem.

Illa quòd est, taceo, brevis & fugitiva voluptas,
Quam malefactorum conscia mens sequitur.
At pulchræ studium Virtutis, & ardor honesti,
Et veræ sanctus Relligionis amor,
Est modus in cunctis & rerum sobrius usus,
Hæc in corde pio gaudia vera cient.
Ista voluptatis sunt proxima causa perennis,
Ista etiam ad summam sunt via recta bonum.
Adde, quòd ipse Deus divino Numine tales
Replet, & hos sanctis motibus ille beat.
Qui sapit, is te Munde, tuis Castrisq; relictis,
Et Virtutis amans & studiosus erit.
Dura via est, inquis, Virtutis & aspera; sic est,
Absq; labore ulli non datur illa Viro.
Hanc Deus assiduo posuit sudore parandam;
Difficiles aditus optima semper habent.
Nec Virtus adeò est pauperrima: profuit illa
Pluribus, & confert hæc bona multa suis.
Illa etiam multos summa ad fastigia tollit,
Inter honoratos & dat habere locum.
Ac licet hæc absint, tamen est sibi maxima merces,
Lætitiâ semper perfruiturq; suâ.
Sit quamvis invisa Malis, cogatur & illa
Interdum latebras quærere in orbe suas;
Est tamen illa Deo acceptissima, filia tanquam,
Securum in Cœlis cui dabit ille locum.
Quicquid erit tandem, Virtus meus unicus ardor,
Huic vivo, huic morior, cætera curo nihil.
Hæc postquam Miles cordato pectore Mundo
Dixit, & est passus nec sibi verba dare.

Haut mora terribilis Draco spe suspensus inani,
 Horrendi rursus more Leonis adest.
Nam quia nil verbis potuit præstare dolosis,
 Addit jam diras ore furente minas.
Concitat hunc contra crudelia pectora vulgi,
 Addit conatus, atq; Acheronta movet.
Ante cruces ipsum, tormenta parantur, & ignes,
 Adstant Doctores, Carnificesq; viri.
Scilicet intentant præsentem singula mortem,
 Ni parére illis, ni revocare velit.
Tùm quia non valuit vinci rationibus ullis,
 Constantis Fidei, propositiq; tenax,
Hæretici falsò damnatus nomine tandem,
 Mox ad supremos ducitur ille rogos.
VADIT OVANS ANIMO, ET FIRMA SVA MAXIMA DAMNA
 SPE LEVAT, ATTOLLENS VICTOR AD ASTRA CAPVT.
Quod mortale fuit, rapido comburitur igne,
 Spiritus in CHRISTI conditur ipse manu.
Cedite victores Orbis, quos protulit unquam
 Sive solum Argolicum, sive solum Ausonium.
Vincendi genere hoc non est præstantius ullum,
 Ipsaq; nec Virtus altius ire potest.
Fortis res, arces & mœnia vincere dura,
 Se, Sathanam, Mundum vincere, fortior est.

Ad Ionam Schlichtingium.

NUper eras curis preßus, multoq; labore,
 Nunc in pacato degis, Amice, loco.
Gratulor, optatæ tibi initia tempora vitæ
 Comprecor, & Pylii secula longa senis.

Sive tuo eloquio, monumentis sive politis
Vt poſſis multis utilis eſſe diu.
Atq; iter hoc longum Cœtus quod juſſus obibis
Nomine propitio confice ritè Deo.

In Inſigne familiæ Schlichtingiorum antiquiſſimæ & numeroſiſſimæ.

QVi ramoſa olim vivacis cornua cervi
Stemma dedit Domui, VESPASIANE, *tuæ,*
Prudens atq; tuæ fuit ingens ſtirpis amator,
Obveniſſe cui votum erat iſta duo:
Vt numeroſa ulli foret haut obnoxia fini,
Vt Patriæ & cunctis utilis illa foret.
Vota Deos tetigêre! nec ulla vetuſtior extat;
Et Patriæ, cunctis utiliorq; Domus.
Sicut enim vivit per plurima ſecula cervus,
Nec faciunt illum cornua jacta ſenem.
Sic retrò a multis vivit SCHLICHTINGIA *ſeclis*
Gens quoq; non ullo deperitura die.
Haut evulſa minùs ceu vertice cornua cervi
Certis in morbis utilia eſſe ſolent:
Sic Patriæ, atq; bonis eſtis ſervire parati
Omnibus, inſignes commoditate Viri.
Vivite felices animæ! cum fratribus autem
Tu vive ad laudem, VESPASIANE, *Dei.*